



9









1092

Handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule, on a parchment fragment. The text is arranged in several lines and includes a prominent number '10.' in the upper middle section. The fragment is placed over a larger, blank page of the book.





# RECTOR ET CONSILIUM ACADEMIÆ VVITTEBERGENSIS.

**M**aturo consilio & necessitate urgente superiori anno publicè ediximus, ne quis in Studiosos recens advenientes ullam exactionem, maximè verò ad computationes usurparet, vel convitiis ac probris eos confectaretur. Cujus decreti tenorem jam denuò inferre, atque ita postremam banc voluntatis nostræ testificationem omnium oculis exponere volumus.

QUOD in populosis civitatibus accidere solet, ut plurimum nationum homines plura secum vitia afferant: id in Universitate hac nostra literaria non potuit non contingere. Non multus annus est, quum ex Academijs non optimè disciplinatis QUIDAM malè feriat, pejùs morati hunc pessimè comparatum morem in hanc scholam secum deportarunt, ut eos, qui recentes in eam veniunt, probris incessere, contumelijs impetere, convicijs insectari, pulchrum, ac penè justum ducant. Hinc nata sunt notæ quæ voces illæ maledicæ & contumeliosæ (ut recentes ac musteas istas prætereamus) Novitiorum, ac Calamariorum, è trivio petita, ex fece vulgi arrepta, ne ipsis quidem Conviciatoribus satis intellectæ, absurda omnes & ineptæ, quæque in autores ipsos meritissimò expetant, dum non solum Tyrones ijs verberant, sed se quoque ipsos Veteranos (veteranos verò non tam eruditionis, quàm inscitia ac stoliditatis: cur enim alijs id exprobant, quod seipos fuisse, quodque suos aliquando esse posse, ignorare non queunt?) vulnerant & consauciant. Videlicet hæc sunt præclara illa prudentiæ & humanitatis stipendia, quæ in castris Musarum per complures annos diversis Academijs fecerunt: hæc opima illa adorea est, quam in Modestæ & Æquitatis contubernio meruerunt: hæc optima maxima illa spolia sunt, quæ de hostibus domesticis Intellectus ruditate, Voluntatis pravitate reportarunt. Ac plus quàm satis ad indignitatem fuerat, si malè morata consuetudo intra voces inhumanas constitisset, neque in majorem licentiam petulantiamque erupisset. Ecce enim novellus ille & paulo antè sacramento Academico autoratus adolescens ab istis Veteranis in ordinem redigitur. Jubetur, vel cogitur potius erogatione aliquot aureorum (non enim unius, sed sæpe decem, aut plurimum) redimere accessum in Academiam, & ad mensam aliter, in neutra locum ei esse posse. Ignarus ille locorum hominumque recusare nefas existimat. Corripit ergo grande vasporium, ad cellam properat: it, redit, fundit, it reditque sapius, ac semper ipse fundit: fundere enim, & hæc talia per alium expedire non fas, non jura sinunt. Interea præclari illi Initiatores leges suas mordicus observant, sacra sua orgia pleno ore celebrant, nec quod ad rem pertineat, quicquam omittunt. Itaque, ut ex pagano ac prophano mystam consecraneumque omni ritu faciant, Præbitorem illum solitis convicijs, tanquàm solenni carmine, etiam atque etiam mactant: addunt aliquando, ut ceremoniæ suprema manus imponatur, verbera: adjiciunt etiam si ve eripiunt aliquid è supellectili vestiaria, aut libraria monumentum scilicet celebrati actus legitimi; quodque omnium indignissimum atque importunissimum est, patrant ac designant ista non tantum in lautioris, sed etiam in tenuioris fortunæ hominibus, & unde aliquot septimanarum aut mensium sumptus in cibum suppetijset, id paucarum helluatione horarum universum abliguriunt. Cujus rei scævitas, ac summa potius iniquitas & inhumanitas: quum cõrreceri posse non videatur, nisi pœnali sanctione compescatur; propterea volumus ac decernimus, ut quoniam Academiæ parës omnes aut accipit, aut facit, neque prærogativam inter Studiosos annorum numerositas, sed morum honestas & gravitas, literarumque autoritas ac dignitas constituit, ab istis conviciorum probris ac ludibrijs, si obtineri hoc ab istis malè sive feriatis, sive veteratis possit, penitus abstineant: Illud quidem cerè Nos facilè & severè præstabimus, ut QUICUNQUE quemcunq; Tyronem & adventitium studiosum computationem quantumcunque poscere, exigere, exprimere ex hoc die ausus fuerit, hoc ipso facto RELEGATIONIS pœnam incurrat, & qui sibi exactionem illicitam in alios studiosos usurpare præsumperit, ex numero Studiosorum suo merito NON SINE ELOGIO exigatur.

Cæterum non sine maximo dolore quotidie audire cogimur, multos esse, qui pessimam & deterrimam istam consuetudinem, ceu nocentissimam studiorum pestem ac perniciem, non modo non fugiant, sed & gravissimas illas, & toties à nobis iteratas edictiones contumaciter & præfractè transgredi haud vereantur. Unde malum hoc non paucas in Academijs irrepsit, adeò ut multi boni viri filios suos non tantum eò mittere: verum etiam studijs consecrare non parùm dubitent; id quod non modo multorum literis queribundis abundè testari possumus, sed in super etiam ipsorum studiosorum melioris notæ ad parentes suos atque patronos perscriptæ literæ, insertæque quiritationes, & in ipsam Illustris. Sax. aulam postmodum delatæ, evidentè testatum faciunt. Quo cum nihil perversus, perniciosus, vestroque ordine indignius sit; Nos de Serenissimi ac Celsissimi Magistratus nostri severissimo mandato, ut & de nostro ipsorum; quod conservandis legibus & disciplinæ Academicæ debetur, officio ac munere maximoperè jubemus, ut ab omni hujusmodi re improbâ atque illicitâ penitus abstineatis, Magistratus ac legum vocem audiatis, & neque damnum cuiquam detis, neque malum ipsi vobis consciscatis: quod cerè interdicti nostri violatoribus abtque ullâ *εργαστολίσια* paratum est solidum ac præsens: id quod RELEGATIONIS pœnam in edicto nostro denunciata continet, quam (ut pestiferam hocce malum radicibus extirpemus) sine omni commiseratione atq; morâ exsequemur adversus eos, qui decreti nostri violationi vel consensisse, vel occasionem aliquam dedisse convicti fuerint, ita ut non tantum in illos, qui importunas & iniquas hæc computationes extorquent, sed etiam alio quocunque prætextu symposia aut comestiones pro redimendo ingressu in Academiam, aut accessu ad mensam institui curant, animadvertatur; quin imò in eos quoq; qui à novitijs invitati, vel ultrò comparent, pœna condigna convertatur; atque adeò, ut nec parentum cognatorumve aut tutorum conniventia vel permissio quemquam excusare possit. Id quod universis ac singulis jurisdictioni nostræ subjectis denuò significandum duximus. P. P. Dominica VIII. Anno clj Is CXIX.



RECTOR ET CONSILIUM  
ACADEMIAE WITTEBERGENSIS

10.  
[The main body of the document contains several columns of Latin text, which is mirrored and inverted across the page. The text is largely illegible due to the bleed-through from the reverse side of the paper. A large, ornate initial letter 'M' is visible on the right side of the page, marking the beginning of a section. The text appears to be a formal decree or university record.]









ULB Halle  
002 677 830

3



56

Nv 1999

(1/69.)

VD 17









Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

Fragment of a manuscript page with Latin text, showing some bleed-through from the reverse side.

